

CATALOGVS

QVO PACTO SE HOMINES  
gerere debeant si cometæ apparent.

CVm igitur ipsa experientia tot se-  
culorũ satis constet, cometas ma-  
gnas calamitates & mutationes por-  
tendere, nostrum erit admonitiones  
illas diuinas non aspernari. Epicurei  
& prophani homines, hæc non diui-  
nitas sed temerè oriri putant, aut cum  
naturales causas habeant, nihil signifi-  
care. Impudens uerò sit necesse est,  
qui contra prudentium iudicia, con-  
tra communẽ omnium ferè gentium  
sententiam, longamq; obseruationẽ,  
huiusmodi prodigijs nihil significari  
existimat. Agnoscenda est ira simul &  
misericordia Dei, qui huiusmodi ostẽ-  
tis nos tanquam cœlesti tuba subinde  
excitat. Benè instituti filij cum paren-  
tes suos frontem contrahere, sibilum  
edere, uel pede strepere animaduertũt  
statim se peccasse cogitãt, quid uelint  
inter-

interrogant suumq; faciunt officium. Mala uerò indolis neque minis neque uerberibus mouentur. D. Petrus galli cantum, exile signum non contempsit. Olim Romani quando prodigia & portenta alicubi edita esse referebatur, sacrificijs, anathematis & uotis mala quæ significabantur, auertenda curabant. Multò magis igitur nos Christianos decet, ut emendatione uitæ & ardentibus precibus, imminencia mala uel auertamus uel mitigemus. Non enim putandum est, Deum precibus flecti non posse, aut emendationē uitæ superuacaneam esse, Deum neglectis his omnibus, cum hæc ostenta apparent, poenā immissurum esse. Deus qui ex nihilo omnia condidit propter electos suos, mala quæ minatur auertere & mitigare potest. Insignis hac de re locus extat Ieremiæ 18. Sæpe quando per prophetas hominibus exitium minatus est, ipsi uerò uitam emen-

CATALOGVS

darūt, mala illa non immisit. Exemplo nobis sunt Niniuitæ. Eadem prodigiorum, ostentorum & portentorum est ratio. Etsi enim ingentes calamitates portendunt, tamen homines impenduntia flagella ardentibus precibus & uite emendatione uel leniunt uel auertunt. Omnes certe pij quotiescunque huiusmodi prodigia conspiciunt, leuare capita sua debēt, quæadmodū Christus admonet, eò quod suã redemptionē appropinquare uideāt. Iã deinceps ex historijs cometas qui à natali Christi usq; adhuc annū 1556. apparuerūt, a notabim⁹. Qui ante natalē Christi fulserūt, cū alias ob causas, tū quod à ueteribus & recentioribus diligēter collecti sunt, à me non recitantur.

CATALOGVS COMETARVM.

**X**iphilinus abbreviator Dionis in Augusto. Aegypt⁹ subacta est, inquit, quod futurū esse dij ante manifestè ostenderant. Nã in ea loca imber non  
modò

tur. In gladij mucrone atq; ab utraq; acie, tres non mediocres stellæ apparebāt, uerū quæ à mucrone fulgebat, reliquis duobus maior erat. Ab his subobscuri radij pilosæ caudæ figura conspiciébant. In lateribus à summo ad imū usque, radij in speciem ferè hastarum deformati & gladij minores, diluti sanguinis colore: inter quos humanæ facies comis barbisq; hispidæ, nigricantis nubis colore cernebant. Hęc simul tāto terrore horroreq; mouebant ac rutilabant, ut nonnulli spectatorū timore metuq; propè exanimati dicantur. Vidit hūc insignis astrolog⁹ Petrus Creuserus ( Ioa. Liechtenbergij insignis astrologi discipulus, Frank ) uiderunt innumeri homines utriusq; sexus alij. Gerardus Nouiomagus. Bullingerus in suis commentarijs ad cap. 21. Lucæ.

Anno 1531. In Germania Italia & Gallia cometes uisus est ( subrubeus uel flauus potiùs, Milichius ) circiter sex-

CATALOGVS

tum diem Augusti, & primùm diebus aliquot manè ante ortum solis apparuit, inde sequutus est solem, & sub uesperũ post occasum solis, circiter tres septimanas uisus est, usq; ad tertium diem Septembris. Cursus eius fuit per Cácrum, Leonẽ, Virginem & Libram, ubi desijt uideri, nec postea amplius apparuit. Carion. Hic cometa illuxit non sine clade Orientis & Septentrionis. Etenim in Hungariam & Austriam Turcarum tyrannus irrupit. Rex Christiernus magna classe in Daniã profectus ad repetendum regna sua, dedit se in manus patruí sui Friderici regis Danorum. Itẽ & Christierni regis filius, qui in Cæsaris aula alebatur, obijt. Carion sed non uno in loco. Per totũ ferè mensem Augustũ uisus fuit cometa, & illis ipsis diebus mortem obijt Galliẽ regis mater Ludouica, Sabaudiẽ ducis Caroli consanguinea. Sleidanº. Sũt qui hũc cometam infelix illud & calamitosum Heluctio-

Heluetiorū bellum portendisse dicāt, quo bis à Tigurinis (qui enim quinque præliorum mentionem faciunt, uani sunt & mendaces) infeliciter pugnatum est. In priore prælio Huldrychus Zuinglius, anno ætatis suæ 48. (natus enim est anno domini 1484 calendis Ianuarij, quibus ipsis postea anno 1519 Tiguri primã concionem habuit & euangelium secundū Matt. enarrare cœpit) cæsus est. Paucos post dies Ioã. Oecolampa, Basileæ decessit. Appian⁹ obseruationes de illi⁹ cometa motu scripsit. Extat etiã Theophrasti Paracelsi de hoc cometa iudicium.

Anno 1532. Mense Septembri iterum cometes uisus est, per aliquot septimanas, duabus horis manè ante exitum solis & ad orientalem plagam. Cū ego uiderem, in Virgine, ni fallor, erat, & radiantem caudam protenderat inter meridiem & occidentem, iam uerò ob tristiores et nubilum aspectum

COMETARVM

quot cometarum qui insigniores euentus habuerunt, collegisse. Item Achillis Gassari.

Anno 1538. Cometa igneo colore in occasu apparuit, caudam uertebat uersus occidentem. annales Stumpfij. Mense Ianuario undecim noctibus uisus est, Achilles Gassarus medicus, qui hunc cometam descripsit.

Anno 1539. Iterum fulsit cometa in principio Maij in occidentali plaga, sub initium noctis. Caudam albam & obscuram ad meridiem uertebat. Sequenti anno æstas fuit feruentissima. Stumpfius. Apparuit mense Maio cometa, & illis ipsis ferè diebus moritur Caroli Cæsaris uxor Isabella. Sleidanus. Horum omnium quos nostra ætate uidimus: euentu uulgò noti sunt.

Año 1556. Quarto die Martij apud nos Tiguri cometa primum uisus est. (quanquam sint qui mense Decembri se uidisse dicant) motus uagi & dubij.

CATALOGVS

qui post aliquot dies disparuit. postea iterum fulgere cœpit. Acciderunt etiã hinc inde alia prodigia. Hunc cometã descripsit Mathematic<sup>9</sup> scholæ Viennensis. Hoc año obiit illustriss. princeps <sup>Fridericus</sup> Wolfgang<sup>9</sup> Palatin<sup>9</sup> Rheni, dux Bavarix &c. Itẽ reuerendus senex Conrad<sup>9</sup> Pellican<sup>9</sup>, ipsis ferijs Paschæ, anno etatis 78 (anno enim Christi 1478. die 9. Ianuarij natus est Rubeaci). Hic fuit ex primis qui linguam Hebraicam in lucẽ reuocarunt. Nam uno eodẽq; tempore Tubingæ unã cum præstantissimo uiro Ioanne Capnione (qui primus in Germania hãc linguã excolere cœpit) licet ipse multò iunior esset, Hebraicæ linguæ operam dedit. Postea anno 26. Tigurum uocatus, publicè sacram linguam docuit, & suis in omnes ueteris & noui instrumenti libros comẽtarijs, uitæ item integritate et innocentia, doctrinam euangelicam non parum propagauit. Decefferunthoc anno



COMETARVM.

no etiam alij uiri pij & docti. In multis Germaniæ partibus de reformandis ecclesijs anxie laboratum est. Multi principes et urbes nonnullę imperij, milites conscripserunt, quem in finem uulgò nescitur. Orandus est dominus ne perinde ut corrupti mores nostri merentur, nobiscum agat: sed propter Christum filium, mediatorem & intercessorem nostrum nobis sit misericors ac propitius: & mala quę cometę portedere credunt, pro sua clementia auertat aut mitiget.

